



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XIII. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, &c. Carm. gen. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Mentis quietem distrahent?
 Quousque cor cruciabitur
 Mœroris æstu fluctuans?
 Quousque me prostrato aget
 Hostis triumphos insolens?
 Regnator orbis aspice:
 Opem fer, & lucem tuam
 Infunde, ne mors lumina
 Somno perenni sopiat:
 Ne iactet hostis arrogans
 Me uiribus fractum suis,
 Ne me perosi perfidi
 Meo dolore gaudeant.
 Tu me salutis recreas
 Spe, largus auxiliij: tuum
 Salute parta, laudibus
 Rex magne nomen efferam.

PSAL. XIII. Dixit insipiens in corde
 suo, Non est Deus, &c. Carm. gen. ii.

Sæcum insania callidè
 Indulgens uicis sic loquitur, Deum
 Formido sibi credula
 Commenta est hominum, quum temerario
 Casu fors ferat omnia.
 Ergo flagitijs se penitus dedit
 Secura impietas Dei:
 Nec quisquam ex animo recta sequi studet.
 De templo æthereo Deus
 Ad curas hominum lumina uerterat,

B ij

Si quis non stolidè improbus
 Ad cultum reuocet pectora numinis:
 Omnes in scelera omnia
 Coniurasse putes: fœda, nefaria,
 Detestandaq; perpetrant:
 Nec cuiquam est studium recta capessere. //
 Nam quis recta capesserent?
 Quem sanis aditum consilijs darent
 Quorum nequitia & scelus
 Infecere animos? qui populum meum,
 Ceu prædam fera, deuorant:
 Nec rerum Dominum mente colunt Deum.
 Ast illos gelido metu
 Horror concui et, iustitiæ Deus
 Quum patronus opem feret
 Infonti: increpitans talibus impios,
 Vobis ludibrio fuit
 Infantum pietas: uos in opum pium //
 Risit studio, preces,
 Spes lentas, trepidas sollicitudines:
 At cui fudit inops, Deus
 Spes & uota bonos ducet ad exitus. //
 O si mittat opem suis
 Speratam Deus è rupe Sionia.
 Nam quum uincula ruperit,
 Exoluetque suos, pectore libero
 Gaudebunt Abrahamidæ,
 Et iusta Isacidæ lætitia frement.

PSAL.